MANDATUM

VICARIORUM GENERALIUM

VENERABILIS CAPITULI BAJOCENCIS,

SEDE VACANTE.

ANNO DOMINI 1801.

MANDATUM

VICARIORUM GENERALIUM

VENERABILIS CAPITULI BAJOCENCIS,

SEDE VACANTE.

QUONIAM propter temporum calamitatem in ſacrorum adminiſtratione, ſive in ipſâ vitæ ratione plurimi vel apud Eccleſiaſticos viros irrepſerunt nævi, plurimæque tum in agendo, tum in ſentiendo diverſitates quæ piorum, imò & inſipientium offendunt oculos, religionique catholicæ virgineum decus maculare videntur; nobis in partem ſollicitudinis tantæ diæceſis vocatis, perutile viſum fuit quædam hic generalia perſtringere præſentibus temporum circumſtantiis accommodata, quæ veſtris comminiſtrorum noſtrorum oculis commonendo ſubjicimus,[1] ut ſollicitè curet unuſquiſque ſeipſum probabilem exhibere Deo, operarium inconfuſibilem, recte tractantem verbum ve-

[1] 2. Tim. 2, 15.

ritatis, & [1] unanimes, uno ore honorificetis Deum & patrem Domini Noſtri Jeſu Chriſti.... [2] Confidimus autem de vobis in Domino quoniam quæ præcipimus, & facitis, & facietis.

MONITA GENERALIA.

I.

[3] Obſecramus igitur vos fratres per nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes & non ſint in vobis ſchiſmata, ſitis autem perfecti in eodem ſenſu, & in eâdem ſententiâ, [4] cum omni humilitate & manſuetudine, cum patientiâ, ſupportantes invicem in caritate, ſolliciti ſervare unitatem ſpiritûs in vinculo pacis.

2.

[5] Conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes, maximè ad eos, quicumque ſint, qui poſtremis temporibus nefanda quæque ac flebilia perpetrarunt. Videte [6] ne quis malum promalo alicui reddat ſed ſemper quod bonum eſt ſectamini in invicèm & in omnes. [7] In-

---

[1] Rom. 15.6. | [2] Theſſ. 3.4. | [3] 1. Cor. 10. | [4] Eph. 4. | [5] 1. Theſſ. 5. | [6] Ibid. | [7] Coloſ. 3.

duite vos ſicut electi Dei, ſancti, & dilecti, viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam, patientiam, ſupportantes invicem, & donantes vobiſmetipſis.... ſicut & Dominus donavit vobis, ita & vos. [1] Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.

3.

[2] Audivimus inter vos quoſdam ambulare inquietè nihil operantes.... iis autem qui ejuſmodi ſunt denuntiamus & obſecramus in Domino Jeſu Chriſto; ut cum ſilentio operantes ſuum panem manducent: quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet; [3] ſacerdotem enim *oportet* offerre, benedicere, præeſſe prædicare, & baptizare.... diligenter igitur conſiderate ordinem per vos ſuſceptum, ac onus vobis impoſitum, non pro veſtrâ tantum, ſed pro communi totius eccleſiæ utilitate, quatenùs gratiam vobis commiſſam in tantâ ſpiritualium bonorum inopiâ non fodientes in terram penitùs abſcondatis, ſed in plebes vobis commiſſas, aut omni deſtitutas auxilio, cautè ac providè pro viribus diffundatis. [4] Meſſis

[1] Gal. 6. | [2] 2. Theſſ. 3. | [3] Pontif. de ord. præſbyt. | [4] Luc 10.

quidem multa; operarii autem pauci. [1] Diſcant igitur & noſtri bonis operibus præeſſe ad uſus neceſſarios, ut non ſint infructuoſi, ne recidat in vobis verbum iſtud, [2] *parvuli petierunt panem, & non erat qui frangeret eis.*

4.

[3] Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſæcularibus. [4] Radix enim omnium malorum cupiditas. Nulli ergo veſtrûm liceat mercaturam, ſive negotiationem, ruſticationemve ullam exercere vel aliud quodcumque munus obire, undè poſſit à ſpiritualibus, aut ſacrorum adminiſtratione retrahi. [5] Ei placeat cui ſe probavit.

5.

Commendamus pariter omnibus vobis Chriſto famulantibus ne in rerum ſæcularium quæ patres familias, non autem Dei ſacerdotes ſpectant, adminiſtratione, diſcuſſione, directione vel aliâ quâlibet inſpectione noſmetipſos intromittatis, præſertim in iis quæ lites diſcordiaſvè fructibus ſacri miniſterii ſuffocandis natas, ſuſcitare valent; niſi

---

[1] 2. Tit. 3. | [2] Jer. Thren. 4. | [3] 2. Tim. 2. |
[4] 2. Tim. 6. | [5] 2. Tim. 2.

forsàn tanquam pacis & concordiæ angeli, in visceribus misericordiæ & caritatis, nusquàm autem tanquam judices & divisores; memores estote verborum Domini : [1] *quis me constituit judicem & divisorem inter vos? &* [2] *dimittite mortuos sepelire mortuos suos.*

6.

Nullus etiam, quantumcumque fiducialiter agens, cuilibet contractui aliàs sibi prorsùs extraneo, cuilibetve transactionis aut compositioni tanquam fidei commissor vel fidejussor accedat : maximè si, quod absit, fiat in fraudem legis [3] civilis; ne proprii lucri stimulo, alienive favoris potius quàm majoris justitiæ studio ductus videatur : ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum... existimantium quæstum esse pietatem. Est autem quæstus magnus pietas cum sufficientiâ.

7.

Pecuniarum, rerumve mobilium quodcumque depositum accipere, vel apud se retinere sacerdotali viro sæpè vetitum, sem-

---

[1] Luc. 12. | [2] Math. 8. | [3] 1. Tim. 6.

per periculoſum, nunquàm conveniens eſt, niſi forſan reſtitutionis neceſſariæ, aliâve ſimili cauſâ, ubi de conſcientiâ agitur. Et tunc cautè ſervandæ ſunt quas ſapienter requirunt leges civiles vel canonicæ conditiones, quantùm prudentia ſuggeſſerit, & ferent anguſtiæ temporum, [1] ut is qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.

8.

[2] Ab omni prorsùs venatione, choreis, tabernis luſibus immoderatis, ſcurrilitatibus, ſpectaculis, noviſque civilibus feſtis, nuptiarum conviviis, aliiſve comeſſationibus, imò & [3] à nimiâ laïcorum, maximè mulierum, familiaritate multarum offenſionum & ſcandalorum origine prorsùs abſtineant clerici in ſacris ordinibus conſtituti. [4] Nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum; magis autem redarguite... [5] Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac evangeliſtæ, miniſterium tuum imple, ſobrius eſto.... [6] In omnibus teipſum præbe

[1] Tit. 2. | [2] Concil. Trid, Seſſ. 22. de Ref. c. 1. | [3] Conc. Aquil. an 1596. cap. 11. | [4] Eph. 5. | [5] 2. Tim. 4. | [6] Tit. 2.

exemplum bonorum operum, in doctrinâ, in integritate, in gravitate.

9.

Parochos omnes, ipſorumque vicarios, ac deſſervientes, alioſve curam animarum habentes, qui graſſante perſecutionum æſtu varias in partes confugere & deliteſcere coacti ſunt, monemus & obſecramus in Domino, ut, quantùm facultas ſuppetierit, ſpretis temporum etiamnùm extantium periculis, proprias in parochias ſeſe recipiant, ovibus ſibi commiſſis per ſe ipſos invigilaturi, non ut ipſas gravent, quod abſit, ſed ut ipſis, aliiſque vicinioribus derelictis abſque paſtore gregibus [1] ſua libentiſſimè impendant, & ſuper impendantur ipſi pro animabus ipſorum, licet plus eas diligentes minùs diligantur.

10.

Vos etiam, fratres dilectiſſimi, quibus non incumbit *ex officio* animarum cura, [2] levate oculos veſtros, & videte regiones, quoniam albæ ſunt jam ad meſſem. [3] Ite & vos in vineam Domini, [4] collaborantes fidei evangelii; & in nullo terreamini ab adver-

[1] 2. Cor. 12. | [2] Joan. 4. | [3] Mat. 20. | [4] Philip. 1.

fariis : quæ illis eſt cauſa perditionis, vobis autem ſalutis. Quod ſi quibuſdam ex vobis defuerint media vel locus, Vicarios Generales ipſorumve delegatos fiducialiter adeant, à quibus, juxtà fidelium undecumque poſtulantium vota, diverſis parochiis ad tempus addicantur.

II.

[1] In diſciplinâ perſeverate. Quod ſi extrà diſciplinam eſtis cujus participes facti ſunt omnes, ergo adulteri & non filii eſtis... [2] Obedite præpoſitis veſtris & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant & non gementes. Quod ſi quempiam illorum in enodandis quæſtionibus à vero deviaſſe (quod humanum eſt) oculatus quiſque veſtrûm perſpexerit aut perſpexiſſe crediderit, non palàm contemnens inſurgat, non clàm ſurripiens ſchiſmata foveat, [3] ne qua radix amaritudinis ſursùm germinans impediat, & per illam inquinentur multi; [4] omnia autem facite ſinè murmurationibus & hæſitationibus, ut ſitis ſinè querelâ & ſimplices filii Dei....

---

[1] Hæbr. 12. | [2] Ibid. B. | [3] Ibid. 12. | [4] Philip. 2.

12.

[1] De cætero fratres quæcumque vera, quæcumque pudica, quæcumque justa, quæcumque sancta, quæcumque amabilia, quæcumque bonæ famæ, si qua virtus, si qua laus disciplinœ, hæc cogitate... [2] In omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multâ patientiâ, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus... Per arma justitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam, ut seductores & veraces,... sicut egentes, multos autem locupletantes, tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

1.

In iis diæcesis partibus in quibus, ex civili temperamento, sacrorum celebratio publicè fieri permittitur absquè ullâ illicita conditione à nobis improbatâ vel improbandâ, in ecclesiis tantùm, si quæ sint, juxtà morem pristinum, ministrentur sacramenta. Tunc autem cessent prorsùs in privatis do-

[1] Philip. 4. | [2] 2. Cor. 6.

mibus ſacra myſteria ſacrive ritus quicumque peragi ſolemniter, niſi ex ſpeciali noſtrâ conceſſione. Eaque omnia ſerventur accuratè, quæ in Rituali Bajocenſi ſive pro ſacramentorum omnium generaliter, ſive pro ſingulorum ſpecialiter adminiſtratione præcipiuntur, quæque præſentibus rerum temporibus prudenter accommodari queunt.

2.

Pſeudo parochorum, [1] atquè juratorum ſacerdotum conſortia ſedulò vitent catholici omnes, præſertim in divinis: ideò què nulla ſibi vindicent templa quæ ſimùl aut alternatim cum ipſis occupent hujus modi ſacerdotes. Ritu ſpeciali, prout à nupero venerandæ memoriæ Epiſcopo Bajocenſi D D. de Cheylus fuerat ordinatum, benedicantur eccleſiæ quæ ab ipſis aut à ſchiſmaticis quibuſcumque aliquandò fuerint occupatæ, item quæ impiis manibus, cantibus, actibuſve publicis, vel alio quovis modo pollutæ, vel quaſi pollutæ cognoſcuntur, novæ tamen benedictionis impertiendæ cauſa priùs Vicariis Generalibus exponatur, & ab eis ſpecialis obtineatur licentia.

---

[1] Breve Pii VI, 19 mart, 1792.

3.

In iis autem locis in quibus minor viget libertas nec à legibus novis, niſi ſub nefariis conditionibus panduntur eccleſiarum fores, ab ipſis prorsùs abſtineant ſacerdotes catholici, etiam votis populorum expetiti, licèt forſan à civili magiſtratu, contrà legum diſpoſitionem, quibuſdam in locis ſingulariter tolerentur, ne legibus iniquis aliquatenùs patrocinari videantur. Sacerdoti quippè chriſtiano melius eſt in ſpeluncis & ruderibus liberè & independenter, prout Chriſtus ordinavit, ſacra exercere munia, quàm in atriis deauratis, humanæ poteſtati ſerviliter in ſpiritualibus ſubjacere.

4.

Neque tamen etiam in ædibus privatis ii ritus omittantur quos ſervare ſinunt anguſtiæ temporum, ac veluti ſemiviva libertas. Nulla proinde ſacramenta miniſtrentur abſque veſte decenti, &, quantùm fieri poteſt, abſque veſte talari, ſi de pœnitentiâ, & abſque ſuperpelliceo & ſtolâ ſi de aliis agatur ſacramentis. Et hæc quidem ſemper & ubique ſervanda veniunt, in loco domicilii, & ubi non eſt obex, nec deeſt

facultas; potiſſimùm tamen in civitatibus & vicis, & ubi frequens eſt populorum concurſus.

5.

[1] Ad ſacramentorum adminiſtrationem legitimâ poteſtas ex juriſdictione propriâ vel delegatâ dimanans neceſſaria eſt in ſacerdotibus, licet vi ordinationis ipſis collatæ, ſint ſacrorum miniſtri. Qui ergo nec proprius eſt ſacerdos, nec delegatus ab eo cui delegare competit, extra caſum neceſſitatis ſacramenta miniſtrare non audeat, quâlibet præſumptione poſt poſitâ. Juriſdictio quippè de jure non præſumitur, nec ullam actibus antea peractis vim dare poteſt ſimpliciter præſumpta, imò verè jam conceſſa, ſed agenti nondùm nota permiſſio.

6.

Ubicumque in propriis parochiis, vel in vicinioribus & immediate conjunctis reſidere cognoſcuntur parochi, ſeu vicarii, aut deſſervientes debitè & legitimè conſtituti, nullâque temporum labe maculati, aut quibus reddita fuerit ſtola prima; ſemper ab ipſis poſtuletur, & obtineatur licentia, ſeu

[1] Rit. p. 6.

consensus muneribus pastoralibus obeundis prævius idque sub pœnâ nullitatis pro contrahentibus & pœnitentibus, ac suspensionis pro ministro scienter faciente, in sacramentis pænitentiæ & matrimonii, nisi in extremo mortis periculo.

7.

Quoniam tamen his ce temporibus onerosa nimis, & quibusdam in locis saluti populorum præsertim redeuntium ad unitatem, noxia valde foret hujusmodi licentiæ seu consensûs denegatio, nec fiduciam, quæ solis meritis & suasioni cedere solet, præcipere debemus, quasi conscientiis dominantes; supra dictis parochis, vicariis, ac desservientibus enixè commendamus, ne licentiam ab ipsis debitè postulatam nonnisi gravibus de causis denegent unquàm, aut diutiùs procrastinentur; de quibus nos, ubi primùm fieri poterit, certiores facere teneantur.

8.

[1] Animarum salutem inquirat sacerdos, non lucra terrena. [2] Unusquisque sicut accepit gratiam in alterutrum illam adminis-

---

[1] Rit. p. 6. | [2] 1, Pet. 4.

trantes ſicut boni diſpenſatores multi formis gratiæ Dei ; . . . [1] nihil pro ſacramentorum adminiſtratione vel aliâ quâvis ſpirituali functione, velut *debitum*, à quoquam exigat aut quaſi exigere videatur directè vel indirectè : & id quidem *ſub pœnâ ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ* diſtrictè prohibemus. Quæ tamen voluntariè omninò offeruntur, abſque vel leviſſimâ avaritiæ ſuſpicione recipiat, pauperumque non minorem curam gerat quam divitum.

9.

[2] *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Quapropter peccatori cuilibet ſcandaloſo undecumque notorio evidentiâ *juris* vel *facti* ſacramenta etiam publicè petenti negari debent, exceptâ pœnitentiâ, niſi priùs certa converſionis dederit indicia, publicoque ſcandalo pro poſſe ſatisfecerit ; ſed de his vide quæ fuſiùs poſteà, ubi de ſacra communione, dicturi ſumus.

10.

Nullum in Diœceſi Bajocenſi ſacerdotale gerant aut gerere permittantur officium

---

[1] Rit. p, 6. | [2] Math. 7.

ignoti ſacerdotes niſi priùs ſcripto licentiam à nobis obtinuerint. Per *ignotos* autem ſacerdotes intelligimus eos quibus in aliquâ parochiâ prorſus alienis legitimum fidei morum, & ordinis teſtimonium non præſtiterit ſaltem presbyter aliquis probè notus & fide dignus, aut adversùs quorum catholicitatem agendi normam hiſce noviſſimis temporibus probabile quoddam emerſerit dubium à quo priùs debeant abſtergi.

II.

[1] Glorientur ſacerdotes de ſuo munere & de ſuis functionibus. Nullas contemnant, nullas negligant; & quotieſcumque ſacramenta à fidelibus expoſtulantur, ad opus ſuum pergant corde magno, & animo volenti. Cogitent quia [2] *pro Chriſto legatione funguntur*, *ſe* [3] *animas ſuas pro ovibus ſibi commiſſis ponere debere*; ſibique valde criminoſum fore ſi eas in periculo vel leviſſimo deſerant. Unde non ut mercenarii propriis commodis aut ſaluti conſulentes afflictos populos ſpiritualibus eccleſiæ ſolatiis & adjumentis deſtitutos derelinquant; ſed veri paſtoris zelum & caritatem præmonſtrantes,

---

[1] Rit. p. 4. | [2] Cor. 5. | [3] 1. Joan. 3.

ſtatim ut accerſuntur, & quâcumque diei vel noctis horâ, ægrotorum domum petant, humanos affectus reprimentes, omnemque timorem quem vel nimius labor, acriſve intemperies, aut morborum contagioſa malignitas poſſet incutere. Ideò ſe omnium ſervos ad munia ſua quâcumque occaſione præſtanda ſæpè ſæpiùs publicè profitebuntur, quò majori cum fiduciâ ipſos liberè adeant parochiani.

DE BAPTISMO.

1.

Quandiù præ terrore vel legum civilium prohibitione in domibus fidelium baptiſma ſolemniter miniſtrari neceſſum fuerit, aquâ benedictâ ſimplici ſacerdotes uti permittimus donec redditis eccleſiis fontes adſint aquæ baptiſmali ex oleis ſanctis recipiendæ ac ſervandæ pares.

2.

Ubi autem catholicis reſtituta ſunt templa, jam extra ea niſi gravis urgeat neceſſitas, baptiſare non licet. « [1] Ne quis de cætero, ait Viennenſe generale concilium, » in aulis vel cameris, aut aliis privatis

[1] Clem. 1. de bapt.

» domibus, ſed duntaxàt in eccleſiis in qui» bus ſunt ad hoc fontes ſpecialiter depu» tati....... niſi talis neceſſitas emerſerit » propter quam nequeat ad eccleſiam abſ» que periculo propter hoc acceſſus haberi, » audeat baptizare. »

3.

Cautè provideant ſacerdotes ne deficiant vel corrumpantur olea ſancta, ipſaque ſedulò, ſaltem quotannis, ſi fieri poſſit, renovari curent.

4.

[1] Moneantur parentes ne infantes ſuos tingendos offerre nimiùm differant. Graviſſimè enim peccarent, ſi eorum culpâ liberi abſque baptiſmo vitâ migrarent. Quam primùm ergo, & non ultra 24 horas prolem baptiſandam ſacerdoti deferant; nec ulterius ſub quocumque prætextu differatur, niſi deſit copia ſacerdotis.

5.

Moneantur etiam parentes ne, abſque imminente mortis periculo, ab obſtetricibus vel laïcis quibuſcumque parvulos baptizari ſinant. « [2] Nullâ enim cogente neceſ-

[1] Rit. p. 14. | [2] S. Aug. L. 1. contra Parm. C. 8.

» ſitate ſi fiat, alieni numeris uſurpatio
» eſt. »

6.

Ab hæretico vel ſchiſmatico, licet ſacerdos non ſit, parvulum baptizari nefas. Caveant ergo parentes ne, vel ingruente mortis periculo, illos adhibeant miniſtros, niſi deſint alii baptiſmo conferendo idonei, quos hæreſis aut ſchiſmatis lue noverint infectos. Quin & in hoc caſu, ipſi potiùs ſi norint, prolem ſuam baptizent; nec enim, catholicis deficientibus miniſtris, ullum matrimonii contrahunt impedimentum.

7.

[1] Quoties ad ſupplendas cœremonias jam baptizatus ob imminens periculum defertur puerulus, ne facilè credatur omni verbo, ſed diligenter quomodo ſe res habeat exquiratur. Cum ergo laïcus vir vel, obſtetrix ipſa ſe puerulum baptizaſſe certò & firmiter pronuntiant, ſi aliundè duos & dignos adducant teſtes qui de re visâ concordem faciant fidem, tunc nequidem ſub conditione baptizandus eſt puerulus. Si verò laïcus vir & obſtetrix ipſa hæſitanter & ti-

[1] Pag. 14.

midè deponant de facto, vel si duo quos vocârunt & exhibent testes non cohæreant in depositione, vel si baptizaverint non advocatis testibus, tunc baptizetur puerulus sub conditione... [1] Quod si cum viro laïco vel obstestrice testis unicus astiterit, quantumcumque fide dignus sit, sub conditione pariter iteretur baptisma, [2] quiquid è contrario scripserit Benedictus Papa XIV, Gallicanis ritualibus nondum receptus.

8.

[3] *Etsi nullâ necessitate usurpetur baptismus & à quolibet cuilibet detur, quod datum fuerit non potest dici non datum, quamvis rectè dici possit illicitè datum.* Valet ergo, nec absque grandi piaculo iterari potest baptismus collatus ab hæreticis, schismaticis nefariisve quibuscumque sacerdotibus aut laïcis, dummodò debita servata sit materia & forma cum intentione faciendi quod facit ecclesia. Quod si quis sacerdos collatum ab hujusmodi baptisma iterare præsumpserit, seipsum [4] irregularitatis vinculo innodatum sciat.

---

[1] Vide collat. Andeg. de bapt. p. 130, edit. 1755. | [2] De synod. Diœcef. T. p. | [3] S. Aug. L. 2. contra Parm. c. 13. | [4] D'Héricourt, lois eccl. C IV, II. art. 58.

9.

[1] Antequam ad baptizandum accedat ſacerdos, quantumcumque fieri poteſt & expedit, à parente vel obſtetrice exquirat qui ſint electi ſuſceptores. Ad illud enim muneris admittendi non ſunt peccatores publici nondum reconciliati, aut ſchiſmatici, aliique de quibus poſteà, ubi de ſacra communione, præſertim ſi ſponte, non vi fecerint. Hos enim non eſſe ſuſcipiendos conſtet, niſi præviâ jam factâ, vel faciendâ [2] ſaltèm coram quibusdam teſtibus catholicis reparatione, eo meliori modo quo fieri poterit.

10.

In ſolemni celebratione baptiſmi, poſt quæſtionem de religionis catholicæ profeſſione, [3] altera immediatè ſubjungatur de præſentis horrore ſchiſmatis & pſeudopaſtorum ſive juratorum ſacerdotum abnegatione, necnon ſupremæ Romani Pontificis in ſpiritualibus auctoritatis, legitimique epiſcopi ac parochi recognitione; quæ quidem interrogatio tum pro ſchiſmaticis, tum etiam pro catholicis pariter adhibeatur.

---

[1] Rit. p. 15. | [2] Avis de Mr l'arch. de Rouen 1797, p. 12. | [3] Règ. de Mr de Cheylus 1796. ~~(V. à la fin.)~~

11.

[1] Arcendi ſunt à patrinorum munere vino obruti, aut alio modo ſanæ mentis non compotes; qui ignorant Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam & præcipua fidei rudimenta... (& iſti hodiè multi ſunt.) Præterea monachi & ſanctimoniales. Item parvulorum parentes propter ſpiritualem quam contraherent inter ſe cognationem quæ ipſis matrimonii uſum interdicerent.

12.

[2] Patrinus ſeptem annos admitti quidem poterit modo matrina duodecim ſaltem annos nata ſit, aut matrina ſeptem annorum, patrinuſque quatuordecim; uterque autem tunc (quod perrarum eſt) rudimenta fidei calleat, *ſecùs non admittendi.*

13.

Ante baptiſma, ubique ex poſtuletur à parentibus linteolum candidum infantis capiti, loco veſtis albæ, poſt chriſmationem nvolvendo parem. Hanc enim regulam ab omnibus eccleſiis antiquitus præſcriptam, icuti cæteras ſuperiùs ex rituali depromp-

[1] Rit. p. 15. | [2] Ibid. p. 16.

tas à nonnullis ſacerdotibus facilè nimiùm contemni, & quaſi penitùs expungi ſæpè doluimus.

14.

Puer ſeptem annorum circiter natus, ſi fortè quis inventus ſit qui ſacro baptiſmate nondùm fuerit tinctus, vel de cujus baptiſmi validitate legitimum exoriatur dubium, baptizetur *adultorum more*, obtentâ priùs à nobis facultate.

15.

Habeant ſacerdotes omnes librum (*) baptiſmalem ſeu regiſtrum duplicem, in quorum ſingulis fideliter & ex ordine, juxtà formam à ritualibus delineatam referantur in poſterùm collata ab ipſis baptiſmata, (niſi fortè propter ſævientem iterùm perſecutionem diviſa ſeorſim folia ſecum deferre juſſerit prudentia.) Ullum autem omninò, abſque ritè factâ, vel protinùs faciendâ conſcriptione baptiſmum adminiſtrari graviſſimè prohibemus, qualis & quantus cumque

(*) Si diverſis in parochiis baptizat idem ſacerdos, diverſi pariter debent eſſe regiſtri, quatenùs ſeorſim poſſint ſingulis parochis tranſmitti, ut poſteà notatur,

que exoriatur perſecutionis metus. Quod ſi parentes, aliive teſtes expoſtulati baptiſmatis actibus ſubſcribere pertinaciter renuerint, mentio ipſorum præſentiæ, inditis nomine & prænomine, ipſorumque renitentiæ in ipſomet actu fiat & tunc actus à ſolo ſacerdote, vel, ſi fieri poſſit, ab aliis teſtibus ſubſignetur.

16.

In manibus laïcorum, quicumque ſint; ſive parvulorum parentes, ſive non, nullatenus committantur libri vel actus baptiſmales; ne ipſorum incuriâ diſpereant, vel præ timore comburantur, vel indiſcretione prodantur. Sed in loco tutiſſimo recondantur de quo certior factus fuerit ſive parochus aut ipſius vices gerens, ſive decanus aut prodecanus, ut morte baptizantis adveniente non pereat depoſitum, ſed ipſi à vicariis generalibus provideatur.

17.

Singulis annis, menſe januario, quilibet ſacerdos unum ex iſtis quos anno præterito confecit baptiſmalibus libris decano, vel prodecano loci tranſmitti curet, à quo viciſſim vicariis generalibus, menſe februario ſe-

quente ſimul omnes remittantur. Alterum autem exemplar intrà manus ſingulorum parochorum (eorum ſcilicet in quorum parochiâ celebratum fuerit baptiſma) vel ipſorum vices gerentium, ſi qui ſint, deponatur.

II.

Quod autem ad tempus præteritum attinet, cum à decem circiter perſecutionis annis nonnulli ſacerdotes collata à ſe baptiſmata vel ſcripto mandare nullatenùs auſi ſint, vel ſcripta combuſſerint; cum interdùm commiſſa parentibus aliiſve laïcis autographa perierint, aut morte baptizantis præveniente penitùs jam ignota deſiderentur, &c.; tot & tantis malis nullum melius viſum eſt remedium quàm ut, 1°. ſacerdotes omnes qui ſuperſunt & actus baptiſmales indebitâ tenuerunt formâ, unum exemplar decano vel prodecano loci tranſmittant menſe januario proximo, alterum ſingulis locorum parochis ut præcedenti notavimus articulo; 2°. [1] de cæteris autem parvulis à decem annis natis de quorum baptiſmate per hujuſmodi actus authenticos

[1] Avis de Mr. l'Arch. de Rouen 1797.

non conſtiterit, prudenter & ſollicitè in ſingulis parochiis à paſtoribus, aut ipſorum vices gerentibus, aut aliis quibuſcumque ſacerdotibus, ſi qui ſint, promovente decano, fiat diſquiſitio, cujus ope certò comperiatur ſive teſtimonio parentum, ſive alio quovis modo utrùm ſinguli parvuli baptizati fuerint, necne. Quod ſi dubium adhuc, omnibus attentis, de quibuſdam ſuperſit, iteretur ſub conditione baptiſmus; & ſic de quibuſlibet parvulis ſcriptum proferatur teſtimonium, quod actus deperditos aut omiſſos utcumque ſupplere poſſit quodque menſe januario proximo decano locorum, ab eoque Vicariis Generalibus tranſmittatur menſe februario proximiori.

DE PŒNITENTIA.

I.

Cum in ſacro præſertim pœnitentiæ foro vitandi ſint errores, & hiſce noviſſimis calamitatum temporibus novæ undique percrebuerint dubiorum ſegetes; improbiori ſanè & diuturniori ſtudio ſcrutanda ſunt à confeſſoribus meliorum tùm in rebus canonicis, tùm in moralibus, auctorum decreta, ſagaciorique judicio penſanda ne ex alteru-

tfà parte declinantes in extrema quæque dilabantur. Confeffores igitur omnes hortamur ac monemus ut affiduè rerum ecclefiafticarum ftudio vacent, & maximè ritualem librum ac nuper impreffas emiffafque à menfe feptembri anni 1800 confefforum in hac cediæcefi facultates fæpiùs perlegant & meditentur, ne extrà fines fibi præfcriptos temerè nimiùm excurrant. Quod fi quibufdam nondum pervenerint iftæ novæ facultates impreffæ, ipfas quamprimùm fibi provideant, cum alias omnes antiquiores, in quantum differrent, à die primâ menfis julii proximioris revocemus per præfentes.

2.

Innumeros propemodùm qui quotidiè circumferuntur confcientiæ cafus hifce paginis exfolvere periculofum quidem foret ac operofum nimis. Verùm ut ubiquè, quantum fieri poteft, fervetur qui tantoperè exoptandus eft, uniformis agendi & judicandi modus, omnibus confefforibus mandamus quatenùs propriâ in rebus arduis opinione poftpofitâ eam femper in praxi fequentur fententiam quæ fuperiorum, ac præfertim Gallicanorum Epifcoporum

potioribus ſuffragiis comprobatur, donec major eluceſcat, quæ rem penitùs dirimat, auctoritas. Quod ſi rebus omnibus expenſis quædam adhuc remaneant dubia, conſulantur Vicarii Generales.

3.

[1] In conſultationibus autem faciendis iſtud ſummoperè caveant ſacerdotes, ne pænitentes ullatenùs prodant. [2] Ponat ergo confeſſarius cuſtodiam ori ſuo, & oſtium circumſtantiæ labiis ſuis, ut non erumpant verba præcipitationis... Nudè caſui propoſito circumſtantias addat, quæ à conſultoribus vel leviſſimam perſonæ ſuſpicionem removeant.

4.

[3] Quo liberiùs ſuo munere defungatur confeſſor, convenit maxime (*) ut nulla à pænitentibus munera recipiat : quæ tamen ſi attentis donantium facultatibus, ſacerdotumque piè famulantium obſequiis vel egeſtate, modeſta comprobentur, ne-

[1] Rit. p. 139. | [2] Pſ. 140. | [3] Ibid. p. 145.

(*) Et hìc præſertim perpendenda ſunt quæ ſuperius mandavimus, de ſacramentis in genere, art. 8. p. 11.

quaquam audemus improbare ; ſi verò pinguiora quædam obveniant, [1] ea prorſùs irrita & donatoribus reſtituenda pronuntiant leges ſeu conſuetudines gallicanæ. Quocircà dubio de naturâ vel quantitate doni obveniente, conſulantur Vicarii Generales.

5

Ubi cultus catholici, & eccleſiarum libera planè facta fuerit poteſtas, nullas extunc ſive virorum, ſive maximè mulierum exaudiri confeſſiones niſi in eccleſiis & debitis locis de more antiquo peroptaremus. Quoniam autem ſæpe ſæpiùs in præſenti confeſſorum opportunitati, & animarum ſaluti noxia valdè foret antiquioris iſtius diſciplinæ ſeveritas, concedimus ut in iis quoque partibus, ſi pauci admodùm ſint ſacerdotes, aut hi ab eccleſiis longiùs diſtent, vel ſint infirmi, aut demùm ſi urgens quæcumque occurrat neceſſitas vel eccleſiæ utilitas, in ædibus privatis, ut antea, poſſint confeſſiones recipere.

6.

[2] Quandiù autem domi confeſſiones mu-

[1] Vide 3. arreſta à collatore Andeg. citata de contract., p. 108., edit. 1755. | [2] Rit. p. 148.

lierum excipi, necessitate compellente, contigerit, pateant semper quantum fieri potest, cubiculi fores; nec sero absque lumine solus cum solâ remaneat sacerdos; quod & servandum erit in earum infirmitatibus & morbis. Item nullius, maximi mulierum confessionem excipiat sacerdos in lecto decumbens, etiam præ infirmitate; *ut non vituperetur ministerium nostrum.*

7.

Ne fidelium saluti noceant sacerdotum culpæ, concedimus in favorem pænitentium bonâ fide in ignorantiâ confitentium, ut valeant absolutiones quas ipsimet confessores, spretis censuris propter occulta peccata contractis, conferre præsumpserint; nec ideò tamen ipsi sacerdoti novum sacrilegii scelus prodesse volumus, nec eum à contractæ cujuslibet censuræ, aut etiam irregularitatis ex hujusmodi actione consequentis vinculo ex solvere intendimus.

8.

Ut obvenientes alterius parochiæ, imo alterius Diæcesis fideles, licitè & validè à sacerdotibus aliàs rite approbatis possint intrà fines suæ jurisdictionis absolvi, rationabi-

---

[1] Vide collat. Andeg. de pænit, p. . . Edit. 1755.

lis & dudùm jàm præſcripta obtinuit conſuetudo, taciturſque gallicanorum præſulum conſenſus; dummodò bonâ fide, non autem in fraudem legis fiat. Quam quidem licentiam, quantùm in nobis eſt, confirmamus, & ad ipſammet confeſſionem paſchalem donec aliter viſum fuerit, extendimus.

8.

Sapienter profectò, ac juſtiſſimis de cauſis, horrenda & ingentia quædam nuperorum temporum flagitia toto vitæ tempore deflenda, nec abſolvenda niſi urgente mortis periculo, [1] ſtatuerat ultimus hujuſce Diæceſis Antiſtes. Nos tamen eccleſiæ paci & unitati conſulentes, & pro hujuſmodi viſceribus miſericordiæ commoti, obſecramus vos, ut ſeveriori quidem pænitentiâ ab eis peractâ, impletaquè publica ſatisfactione, tandem [2] confirmetis in illis etiam caritatem, ita ut è contrario magis donetis & conſolemini, ne forte abundantiori triſti- abſorbeantur qui ejuſmodi ſunt.

DE EUCHARISTIA.

§us. Ius. DE MISSA.

I.

In parochialibus eccleſiis, nullus ſacer-

[1] Reglem. de 1796. | [2] 2. Cor. 2.

dos etiam generaliter approbatus pro totâ Diæcesi absque licentiâ parochi, vicarii desservientisve catholici sacra celebrare præsumat, nisi aliundè jus aut privilegium ex officio, beneficio, vel nativitate competat; ex antiquo jure.

2.

Ante vel post missam aut aliud quodlibet officium non recitetur in posterùm psalmus *Miserere*, nec alii psalmi seu orationes; nec ulla pro quâcumque necessitate publicâ adjungatur missæ collecta, nisi de nostro mandato speciali.

3.

Circa tempus celebrandi missam ea sedulò serventur quæ à missalibus in rubricis præscripta sunt; ac proinde non celebretur missa nisi ab aurorâ ad meridiem, nisi aliter fieri postulet renovata persecutio, vel alia quævis urgens & necessitas.

4.

Absque veste talari, consuetisque & à regulis canonicis præscriptis vestibus, ornamentis, linteaminibus, aliisque hujusmodi ex ecclesiæ mandato vel usu requisitis, sacerdos offerre non præsumat, quâcumque postpositâ necessitate. Nec absque

prævià conſecratione calix, patena, vel lapideum adhibeatur altare, etiamſi multoties jam in euchariſtiæ adminiſtrationem per negligentiam, aut errorem inſervierint.

5.

In miſſis etiam quotidianis, ubi ſuppetierit facultas, duo ſaltem accendantur cerei, (non oleum aut candelæ) prout ubique præſcribunt rubricæ, & auctores canonici. Quod ſi per ſingulos dies, præ nimiâ egeſtate, non niſi uno uti valeant, ſaltem dominicis aut à populo feſtivitatis diebus duo præſtare teneantur ſacerdotes.

6.

In ſacris conficiendis pretioſa ſin minùs adhiberi poteſt ſupellex, is tamen exquiratur linteaminum, inſtrumentorumque nitor & modus qui præſentem teſtentur ac deceant Dei majeſtatem.[1] Quam illotâ conſcientiâ ac pollutâ accedant ad ſacrificandum plurimi ſacerdotes, aut quam parùm ſtudioſè ac piè dijudicent corpus Domini, ſatis arguunt ſordes calicum, corporalium, mapparum atque omnium ornamentorum qui-

[1] Concil. Rothom. an 1581.

bus decet venerari tantum religionis ſacramentum & ſacrificium.

7.

Ubicumque primum, refrigeſcente perſecutione, ſacra poterunt in eccleſiis tutò & liberè confici remotâ quâcumque conditione illicitâ, nullæ jam in privatis domibus miſſæ celebrentur, niſi ex ſpeciali ſuperiorum licentiâ.

8.

Verumtamen in eccleſiis ubi ſpurii, vel quomodolibet cauteriati conveniunt præsbiteri, licèt diverſis horis officium ſuum celebraturi, [1] nullus omnino fiat, vel toleretur catholicorum etiam ſimpliciter laïcorum concurſus, niſi graviſſimis de cauſis & à ſuperioribus ſpecialiter approbatis.

9.

Quandiù privatis in ædibus officia catholica reſtringet legum temporumve neceſſitas, nulla in eis exaudiatur cantus, inſtrumentorumve modulatio. [2] *Defecit gaudium cordis noſtri, verſus eſt in luctum chorus noſter. . . .* [3] *quomodo cantabimus canticum Domi-*

---

[1] Lettres de M^r. l'archev. de Rouen, 1799.
[2] Jer. Thren. c. 5. | [3] Pſ. 136.

ni in terra alienâ ? ex ea tamen regula paucissima quædam excipiuntur moniaſium ſimul coadunatarum oratoria quæ pro feſtis ſolemnioribus diſpenſationem à nobis juſtis de cauſis obtinuêre.

10.

In civitatibus aut oppidulis ubi quibuscumque de cauſis probabilis ſemper adeſt obtrectantium fidei inimicorum metus, nulla fiat plebis congregatio quæ malevolam ipſorum voluntatem poſſit irritare, & ità paci omnimodè conſulatur. Quin & in aliis locis ubi lex vel magiſtratus non obſtiterint, nimiam in miſſis audiendis populorum frequentiam præcaveant ſacerdotes ; & ita ſobriè ac cautè conceſſâ utantur tolerantiâ ut nullum miniſtrent invidiæ fomitem, nec publicæ poteſtati de ſacrorum miniſtratione ulla poſſit ſuboriri mala ſuſpicio, & ſic demùm occludatur os loquentium iniqua.

11.

Miſſas abſque miniſtro vel ſolâ reſpondente fæmina niſi gravis extet neceſſitas, diſtrictè prohibemus, omneſque anteriùs datas ob perſecutionem diſpenſationes revocamus per præſentes, niſi eodem recurrat neceſſitatis cauſa.

12.

Turpem prorsùs & emendicatam ab aſſiſtentibus pro miſſâ audiendâ eleemoſynam, taxationem ſeu veriùs exactionem, quocumque tandem prætextu vel nomine fiat, graviter inhibemus. Quod ſi ope indigeant ſacerdotes, ſpontaneas quidem aliundè ac planè liberas recipere valeant oblationes, non autem quaſi coactum aſſiſtentiæ ſtipendium; ne ſub religionis ſpecie, inhoneſta vobis avaritiæ vel ſimoniæ labis inuratur conſperſio.

13.

In tabernis, aut perditæ dubiæve famæ locis ſacra nuſquam conficiantur. (Ibi quippe non decet ſacra peragi ubi nec frequentare, nec [1] edere vel bibere permittuntur clerici, niſi ſuborta ſit vera & legitima neceſſitatis cauſa) ne inter ſolutos largiter potantium æſtus, aut libidinoſos comeſſantium choros tremenda polluantur, potiùs quàm adorentur Chriſti ſacramenta.

14.

Quamvis in ædibus privatis in quibus nonniſi pauci familiares ac notæ pietatis convenire ſolent, ignotos aut extraneos quoſ-

[1] Rit., pag. 134.

libet admittere non teneantur ſacerdotes, patreſve familias; iis tamen in locis quibus publicum aut quaſi publicum celebratur officium omnibus obvium, nulli quantumlibet peccatori præcludatur ingreſſus niſi graviſſimis de cauſis, iiſque certis, publicis, & canonicis, ſummâque priùs adhibitâ prudentiâ & caritate, ne ſpirituale quiddam excutiendo ſcandalum, in alterum longè gravius prorumpatur; ſed de his inferiùs.

15.

Diligenter invigilent ſacerdotes ne in mentem, fines mediave fidelium qui ſibi vel ſuis ſacra ſancti miſſæ ſacrificii valorem applicari expoſtulant, quidquam ſuperſtitionis obrepat, aut vanæ obſervantiæ; nec iſtis peſſimis & nimiùm communibus vulgi faveant erroribus, miſſas hujuſmodi, etiam mutatâ per mentem intentione, celebrando, iſtos vero in fide debiles potiùs corripiant, edocentes & commonentes in ſpiritu lenitatis.

16.

Caveant pariter ſacrorum miniſtri ne pro defunctis notoriè ſchiſmaticis aliiſve publicis peccatoribus à jure notatis, quorum

pœnitentia non constat, missarum offerant solemnia. Immò nec pro iis vel secretò celebrent quos certò, licet occultè noverint in peccato mortali defunctos, nisi tamen *ex officio* teneantur. Nulla proinde pro missis celebrandis recipiantur stipendia, nullæ promittantur pro vivis aut defunctis missæ, nisi explorata maturiùs postulantium intentione, sanctam & legibus ecclesiasticis conformem esse constiterit.

17.

Privatis in officiis, coram selectis fidelibus sacras identidem conciones fieri permittimus, imo & hortamur. In publicis autem spirituales duntaxat recitentur hodiedùm lectiones. In utrisque autem maximâ prudentiâ & discretione utantur oratores; nulla omninò novarum legum, nulla præsentis rerum administrationis, nulla potestatis publicæ quæ nunc obtinet, mentio fiat; [1] nec quidquam eloquantur quod magistratibus civilibus officere aut leges quascumque vel levissimè perstringere videatur.

18.

In ecclesiis ubi pronaum fieri contigerit

---

[1] Monita D. D. Ep. Boloniens. an. 1796.

nulla in precibus publicis Regis, aut Regiæ Familiæ, vel locorum Domini mentio fiat. Nec cantetur *Domine salvum fac Regem.*

§us. 3us.

DE SACRA COMMUNIONE.

I.

Cum [1] ex primâ communione totius vitæ Christianæ series plerumque pendeat, ii omnes qui primâ vice communicant, ritè dispositi sint necesse est. Dispositio autem requiritur duplex quarum una ad fidem informandam ignorantiam & errores abigendos, altera ad abluenda peccata, mores informandos, pietatem acquirendam planè sufficiat. Ut autem tantum opus rectè possit adimpleri, grandi prorsùs studio ac indefesso labore contendere debent sacerdotes. Nec pauci quidam sufficiunt dies, uti apud nonnullos usu receptum esse vehementer angimur. Quos quidem ac vos simul commonemus in Domino ut in id operis incumbatis totâ mente quasi rationem pro animabus istis reddituri; nec enim communiter minùs quàm duo circiter menses

---

[1] Rit. p. 89.

aſſiduè laborantibus ad inſtitutionem, probationem, reconciliationem puerorum perficiendam abſumendi ſunt in omni patientiâ & caritate. Quaſi ſi prudenter ſervetis regulas erunt flores iſti juniores gaudium vobis & corona, totiuſque renaſcentis eccleſiæ ſpes & ſolatium.

2.

Convenit maximè ut fiat prima communio puerorum (præſertim ſi notabilis ſit numerus) cum ſolemni apparatu, ad majorem totius parochiæ ædificationem, ac ſemper die dominicâ vel feſto ſolemni; & tunc quantùm fieri poterit, iſta ſerventur ab omnibus quæ in rituali, p. 90 & 91, præſcribuntur.

3.

Et hìc iterùm commendamus quod ſcriptum eſt, *gratis accepiſtis, gratis date.* Nil terrenæ mercedis ſapientes, aut muneris cujuſcumque à parentibus præſtolantes, (*) *ſcientes quoniam labor veſter non eſt inanis in Domino.* Quod ſi lubenter quiſpiam offerat, accipere quidem non pigeat grati animi pig-

(*) Et hìc etiam recole quæ ſuperius dicta ſunt, art. 8 de ſacramentis in genere, p. 11.

nus. Ita enim [1] *& Dominus ordinavit iis qui evangelium annuntiant, de evangelio vivere.* Verumtamen nihil exigite, nihil ſperate; [2] quæ eſt enim merces veſtra? ut evangelium prædicantes, ſine ſumptu ponatis evangelium.

4.

Præfixas cæterum ab eccleſiâ regulas circa tanti ſacramenti legitimam diſpenſationem edocti, ſervetis illibatè; non declinantes ad dexteram neque ad ſiniſtram. Nemo ad ſacram ſynaxim accedens de confeſſione, de fide, de moribus ullatenùs interrogetur præſertim publicè. Nemo palàm arceatur, niſi de iis peccatoribus agatur de quibus in tribus articulis ſequentibus ita ſanciunt rituales omnes, & auctores melioris notæ ſcilicet.

5.

« [3] Fideles omnes ad ſacram communionem admittendi ſunt, exceptis iis qui » juſtâ ratione prohibentur. Arcendi ſunt » autem publicè indigni quales ſunt ex» communicati, interdicti, manifeſteque » infames, ut meretrices, concubinarii,

[1] 1. Cor. 9. | [2] Ibid. v. 18. | [3] Rit. p.

» fœneratores, magi, ſortilegi, blaſphemi » & alii hujus generis publicè peccatores » niſi de eorum pœnitentiâ & emendatio- » ne publicè [1] conſtet, & publico ſcan- » dalo priùs ſatisfecerint. »

[2] Cum ergo ritualia omnia & ſinodalia decreta velint univerſim publicos & notorios peccatores à communione repelli, manifeſtum eſt eos à verbis & mente eccleſiæ omninò deviare qui hujuſmodi peccatores non priùs volunt eſſe repellendos quàm *per ſententiam judicis* ſint ut notorii peccatores declarati.

6.

[3] Inter peccatores publicos connotandi veniunt;

1°. Jurati ſchiſmaticique ſacerdotes litteris monitorialibus ſummi pontificis Pii VI, an. 1791 & 1792, proſcripti. Item à ſpuriis epiſcopis ordinati aut litterarum ordinis traditores;

2°. Clerici in ſacris ordinibus conſtituti, item monachi vel moniales qui ſpretis le-

---

[1] Inſtruct. D. D. Epi. Boloni. 1796, p. 20. | [2] Vaneſpen., p. 2. Tit. 4. de euch. | [3] Inſtruct. D. D. arch. Rothom. an. 1796.

gibus canonicis pseudo matrimonium turpiter contraxere, vel qui abjectis jam pridem, absque necessitate, & superiorum licentiâ, veste & officio, libertatem pravam legibus novis oblatam ultrò suscepere;

3°. Omnes quotquot civilibus administrationibus mancipati qui verbis aut *actibus publicis & notoriis* adversus religionem episcopos, vel alios quoscumque pastores catholicos graviter insurrexerint, schismaticos in ecclesiis constituentes. Templa spoliantes, sacra profanave bona diripientes, vel iniquè quoquo modo possidentes;

4°. Quilibet sacrilegii, cædis, incendii, latrocinii alteriusve flagitii auctores, fautores, vel adjutores *publici*. Inter quos connumerandi sunt judices vel ipsorum assessores aut executores qui legibus iniquis, sive metu, sive spontè obtemperantes innoxium sanguinem scienter damnaverint;

5°. Laïci omnes qui spreto legitimi matrimonii vinculo, adulterinas, non sine gravi scandalo, nuptias civiliter contraxerint, vel [1] qui matrimonio quâcumque de causâ *notoriè* irrito conjuncti, polluti thori

[1] Mandement de Mr de Cheylus, an. 1796.

vitium corrigere, vel penitùs abſcindere neglexerint.

7.

[1] Cavendum tamen, & ſummoperè cavendum, ne pro notorio habeatur quod vel paucis cognitum ſit, vel rumoribus, nixum incertis, vel ſolâ vulgi credulitate vel imperitiâ fundatum.... Non habeat ſacerdos ut notorium in hoc vico peccatorem qui tantùm notorius ſit in alio, præſertim ſi fama criminis non videtur eo facilè perventura. Iis quidem euchariſtiam deneget qui peccatores ſunt publici, ut aiunt *publicitate juris*. [2] Quantùm autem ad eos qui publicè ſunt indigni *ſolâ publicitate facti*, eos, ſi fieri poſſit, à communione non excludat inconſultis ſuperioribus.

8.

Qui ſacram infirmis euchariſtiam in viâ ſecùm deferunt ſacerdotibus omnimodam commendamus reverentiam, eamque ſenſuùm & animi collectionem quæ tantùm decent depoſitum. Quantùm prudentia permiſerit, ſi ruri deferatur, ſemper [3] aperto

---

[1] Collet. de Sacr. in genere. p. 122. | [2] Rit. p. 80. | [3] Rit. p. 87.

capite procedant, nisi præpediat imber, vel nimius solis ingruerit ardor; non cùm sociis & obvenientibus confabulantes, sed omnipotenti Deo suppliciter, sive alternatìm, sive secretò & singulariter [a] pro infirmis preces indictas fundentes, aliasque psalmos aut cantica quæ tenere poterint memoriter. Neminem, si fieri potest, salutent in viâ, nemini benedicant.

9.

Quod si sacerdotem intrà domum cujuspiam propter aliquam necessitatem, aliquodve negotium divertere contigerit, sacram eucharistiam in loco tuto decentique piè ac reverenter deponere curet priusquam sermonem cum aliquo misceat vel quidquam manducet aut bibat.

10.

Propter penuriam sacerdotum, & temporum difficultatem concedimus ut communio paschalis, prout anteà fieri consuevit, ab initio quadragesimæ, ad festum usque SSæ. Trinitatis protendatur.

11.

Fiat communio paschalis, nisi gravis sit obex, in propriâ parochiâ, ad publicam

---

[a] Rit. p. 80.

ædificationum, prout ferunt leges ecclesiasticæ, imo in solis ecclesiis parochialibus ubi primùm catholicis fuerint restitutæ; quempiam ad paschalem, vel ad primam communionem admitti absquè licentiâ proprii parochi, vicarii aut desservientis prohibemus sub pœnâ suspensionis.

§us. 3us.

DE ASSERVATIONE SSÆ. EUCHARISTIÆ.

1.

In ecclesiis, oratoriisve publicis, ubi libertatis lucescit aurora, sacrosanctum servetur sacramentum; nec alibi tunc recondatur, nisi forsan ab ecclesiâ ità distent sacerdotes ut meritò timendum sit ne, urgente mortis periculo, tardiùs infirmis subvenire possint. Quo in casu vel aliis similibus à superioribus specialis obtineatur dispensatio.

2.

Apùd quemcumque fidelem quantùmcumque pium hostiam prohibemus recondi consecratam, ùt ipsius devotioni satisfiat. Verùm ubi desunt ecclesiæ vel oratoria publica apud solos sacerdotes, vel ad summum in

ædibus monialium ſimul commorantium; ſacroſanctum aſſervetur Chriſti corpus, non in cubiculis quibuſcumquè ubi passìm ludunt aut comedunt, dormiunt aut vagantur viri ac mulieres, ſed ſeorsìm, & quantùm fieri poteſt abſtractis in locis, eâque ſervatâ ſemper quæ par eſt reverentiâ.

3.

[1] Sacræ particulæ frequenter, & ut in rituali præſcribitur, ſi fieri poſſit, ſaltem 15 quoque die, præſertim pluviæ vel hyemis tempore, ſæpius etiam in locis humidis, renoventur. Et tunc vaſa quibus recondebantur diligenter purificentur antequàm novæ in ipſis reponantur hoſtiæ.

§us. 4us.

DE BENEDICTIONE ET EXPOSITIONE SSi. SACRAMENTI.

1.

[2] Passìm & pro nutu SSum. Sacramentum exponi prohibemus ad id enim requiritur gravis cauſa, *ne*, ut ait ſynodus mechliniensis, [3] *nimia frequentia minuat reverentiam.* Et ita ſtatuit clerus gallicanus annis 1625 &

---

[1] Rit. p. 85. | [2] Collet de Euch. p. 498. | [3] an. 1570.

& 1635... requiritur autem expreſſa diæceſani epiſcopi facultas. Ita ſanxerunt in ritualibus libris, & in comitiis generalibus gallicani præſules. Exceptis igitur diebus inferiùs præfixis, nullibì SSa. euchariſtiaexponatur, niſi de ſuperiorum expreſſâ licentiâ, à quibuſcumque etiam exemptis ſemper obtinendâ.

2.

Iſtæ ſunt autem ſolemnitates in quibus poterit exponi SSum. Sacramentum, ſcilicet, 1°. feſta annualia; 2°. ſolemnitas corporis Chriſti & ſic per octavam, de more antiquo. 3°. 1a. communio ſolemnis, dummodo notabilis ſit numerus; v. g. ſaltem octo vel decem puerorum communicantium; 4°. preces 40 horarum, in locis tantùm ubi mos obtinuerat antiquitùs, ideòque ſpeciales à ſummis pontificibus conceſſæ fuerant indulgentiæ; 5°. in oratoriis monialium quæ ſimul adunatæ corpus aliquod conſtituunt, iis ſcilicet diebus tantùm ac feſtis ſolemnibus in quibus ex uſu priſtino fieri ſolebat hujuſmodi expoſitio.

3.

Prædictis diebus, & non aliis, ſacra exponatur euchariſtia juxtà ritus receptos, in

missâ tantùm & in 2is. vesperis, quandiù in ædibus privatis officium absolvi necessum fuerit, & quidam aderit populi concursus. In oratoriis autèm monialium coadunatarum, & in iis locis ubi pace ecclesiæ redditâ, templa sicut olim poterunt frequentari, iidem planè ritus & usus serventur circa SSi. Sacramenti expositionem qui sive ex indulgentiâ, sive ex specialibus fundationibus quodàm obtinebant.

4.

Honesta sint ostensoria, aptèque ac decenter disposita & ornata; ex auro argentovè consletur qui tangit immediatè hostiam circulus, vel semicirculus, non ex chartâ, lignove, aut alterâ quâcumque materiâ. Semperque coram SS°. Sacramento duo saltem accendantur cerei.

5.

In festis solemnibus majoribus à populo festivatis solemnis detur sive post missam, sive post 2as. vesperas ad libitum, benedictio cum sacrâ pyxide nec quidquam addatur precibus assuetis, & in processionali Bajocensi præfixis. Locum sacræ pyxidis non suppleat sive corporale, sive cap-

ſula quælibet aut linteolum in quo Chriſti corpus recondatur, nec ſufficiat hoſtia nudè ſuper patenam repoſita quâ populo intra miſſarum ſolemnia benedicatur; hunc quippe benedictionis modum ab ultimo epiſcopo conceſſum revocamus per præſentes.

6.

In eccleſiis parochialibus duntaxat, ſi liber ſit ingreſſus, aut in ſupra dictis oratoriis monialium fundatis benedictionibus, de more priſtino, ſatisfiat; non autem in ſingulis privatorum domibus hujuſmodi fundatæ, aut ordini cuilibet religioſo annexæ dentur in poſterùm benedictiones.

7.

Precibus benedictionum conſuetis penultima ſemper adjungatur antiphona *Domine non ſecundùm peccata noſtra*, &c. cum verſiculo competenti, & oratione *Deus qui culpâ offenderis*, ... donec aliter ordinetur.

DE EXTREMA UNCTIONE ET VISITATIONE INFIRMORUM.

1.

[1] Ubi primùm noverit parochus, vel ſa-

[1] Rit. p. 165.

cerdos ipſius vices gerens, etiam abſque ullo titulo, quempiam ex fidelibus curæ ſuæ commiſſis, vel alterius ſacerdotis auxilio deſtitutis, ægrotare, non expectet ut vocetur, ſed quam citiùs ad eum pergat, idque ſæpiùs: horteturque fideles tum privatìm, tum publicè ut ipſum admonere non differant, quandò quis inter ipſos ægrotaverit, maximè ſi morbus gravis appareat.

2.

Admonitus paſtor vel ſacerdos de cujuſlibet infirmitate ad eum accedat paterno affectu, licèt forsàn peccator ſit publicus, imò & religionis aut miniſtrorum catholicorum quandòque perſecutor fuerit acerrimus, memor verborum Domini, *non veni vocare juſtos, ſed peccatores.* Omnia tentet media ut in ovile Chriſti reducat errantes oves, etiam ſpreto vitæ periculo, (niſi ſit evidens ac probabiliter inutile) *bonus enim paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis.*

3.

Non unâ tantùm vice, ſed pluriès ægros viſitet ac conſoletur ſacerdos. Ubi autem infirmorum ingens eſt numerus, it utà eorum

visitationi assiduè vacare non posset, [1] id præstandum curabit vel per alios sacerdotes, si quos habent in parochiâ, aut saltem per laïcos homines pios, & christianâ caritate commendabiles, quibus tamen ex integro infirmorum consolationem non committat; eos enim ex intervallo saltèm debet invisere; eorum autem præcipuè curam gerat qui humanis auxiliis destituti, benigni ac providi pastoris caritatem & operam omnem requirunt.

4.

Impœnitentibus & qui in manifesto peccato mortali moriuntur penitùs denegetur extrema unctio. De quibus vide quod dictum est superiùs ubi de eucharistiâ; art. 5, 6 & 7.

5.

[2] Si eodem tempore, (quòd valdè exoptandum est) ægroto dentur eucharistia & extrema unctio, hæc antè eucharistiam administretur. Si tamen vis morbi urgeat, & deficere possit temporis opportunitas, viaticum primò detur, & si tempus supersit, extrema unctio posteà ministretur. Si autèm diversis temporibus ministrentur hæc duo

---

[1] Rit. p. 166. | [2] Rit. p. 204.

ſacramenta, euchariſtiam ſequatur extrema unctio.

6.

Oleum infirmorum ſæpè ſæpiùs viſitent ſacerdotes, ac renovari curent, ne fortè ſacro deficiente vel corrupto oleo, deficiat paritèr ipſummet unctionis ſacramentum.

7.

Si indulgentia quævis moribundo largienda ſit, ſeu applicanda, extrema vitæ non expectet ſacerdos ut eam illi largiatur & applicet. Per præſentes autèm, auctoritate apoſtolicâ nobis delegatâ, die martii 19â, an. 1792, art. XI & XIII, communicamus omnibus & ſingulis Chriſti ſacerdotibus catholicis in hâc diœceſi miniſtrantibus poteſtatem in articulo mortis indulgentiam plenariam impertiendi, juxtà formulam à benedicto XIV præſcriptam in ſuâ conſtitutione datâ die 7â. menſis aprilis 1747; cujus exemplar ad hujus noſtri mandati calcem annexum ſeorsìm pro ſingulis ſacerdotibus reperietur.

8.

[1] Infirmum in agoniâ conſtitutum pre-

---

[1] Rit. p. 217.

cibus ecclesiæ juvet sacerdos. Si longiùs duret agonia, & propè infirmum ipse remanere non possit, curet ut sint aliqui pii viri aut devotæ mulieres quæ & preces continuò fundant, & sanctis cogitationibus animum ægroti sublevent.

9.

Sacerdos imminente exitu, accenso, si adfuerit, cereo benedicto genibus flexis cum omnibus circumstantibus morientis animam commendet, prout fert rituale; & egressâ animâ recitet *subvenite*, *&c.* Pariter [1] antè sepulturam corpore præsente, nisi sit obex, astantibus parentibus & amicis de more fiat officium defunctorum, absque cantu, aut cum cantu si fiat in ecclesiis.

DE ORDINE.

1.

Cum nulla jam supersint, quibus juventus informari possit, collegia vel seminaria, omnes, quotquot idonei sunt, sacerdotes obtestamur & obsecramus ut si quos norint optimæ spei juvenes quos afflante spiritu sancto, clericali militiæ destinare videantur morum gravitas & acumen ingenii, ipsos

[1] Monita DD. arch. Boloniens. 1796, p. 43.

prima linguæ latinæ humanarumque ſcientiarum principia quantum per tempus licuerit, edocere velint, divinarum ſimul & eccleſiaſticarum rerum rudimenta pervolventes. Quòd ſi poſteà philoſophiæ vel theologiæ operam dare neceſſum ſit, conſulantur vicarii generales.

2.

Omnibus & ſingulis presbyteris virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut juxtà regulas canonicas intrà fines hujuſcè diœceſis miniſteria eccleſiaſtica exerceant, nec abſque ſpeciali ſuperiorum licentiâ ſcriptis demandatâ, in extraneam exeant diœceſim, alieni miniſterii ſortem accepturi.

DE MATRIMONIO.

Inter eas quæ miſerrimis his ce temporibus catholicam galliarum eccleſiam valdè premunt calamitates, hanc potiſſimùm dolemus ac ſtupemus quod quidam ſacerdotes, pauci tamen numero, abſque ullâ præviâ inquiſitione, nimiâque & admodùm culpabili facilitate omnibus obviis benedictionem nuptialem impendant, quaſi ab omnibus legibus in hac difficillimâ tempeſtate ſoluti. Sacratiſſimos canones ſapienterque à

ritualibus præſcriptas regulas parvipendunt. Abſolutiones abſque præviâ quâlibet probatione, abſque vitiorum, ſcelerumve diſtinctione, præcipiti quâdam ac lugendâ nimis temeritate diſpergunt *quærentes quæ ſua ſunt, non quæ Jeſu Chriſti.* Quapropter admonitos vos obteſtamur in Domino, ut munus vobis commiſſum in matrimonii adminiſtratione ſpeciali fidelitate adimpleatis, quatenùs tanti ſacramenti validitati ac honori per omnia conſulatis.

1.

In eccleſiis, ubi primùm reſtituta fuerit libertas, priuſquàm ſponſalia celebrentur, ter, ut olim, à propriis contrahentium parochis, vel, ſi abſint, ab altero præpoſito ſacerdote intrà miſſæ parochialis ſolemnia, denuntietur inter quos matrimonium ſit contrahendum, eademque tunc reſtituatur circà bannorum promulgationem aut diſpenſationem, quæ quondàm obtinebat, diſciplina.

2.

Nuptialem benedictionem nulli temerè vel præproperè largiamini, neque communicaveritis peccatis alienis. Sed diligenter ac maturè attendatis utrùm nubendi fidei

rudimenta teneant religionem catholicam, apoſtolicam & romanam profiteantur, à ſchiſmate abhorreant & ſchiſmaticos præſertìm in ſacris devitent, ac demùm mores ſuos juxtà normam fidei chriſtianæ compoſuerint, aut ſaltem in poſterùm componere ſeriò proponant.

3.

Nullus ad ſponſalia contrahenda priùs admittatur quàm apud ipſummet celebrantem, vel ſaltem apud ſacerdotem catholicum probè notum & à nobis approbatum peccata depoſuiſſe certò conſtiterit.

4.

Perpendat imprimis ſacerdos utrùm nubendi ad contrahendum habiles ſint. Si minores ſint, perpendat utrùm conſenſum parentum vel tutorum & aliorum quorum de jure pertinet, obtinuerint; ita ut de ipſorum conſenſu, ſi abſentes ſint, inſtrumento conſtet legali, coràm notario vel civili magiſtratu regulariter tranſacto. Quemlibet enim alium manuſcriptum conſenſum etiam coràm plurimis teſtibus ſubſignantibus datum pro minorum matrimonio inſufficientem ſtatuimus, niſi ſub ipſiſ-

ſimis celebrantis oculis fuerit confectum. Minores igitur 25 annorum abſque hujuſmodi authentico conſenſu parentum tutorumvè aut curatorum jungi prohibemus ſub pœnâ ſuſpenſionis *ipſo facto* incurrendæ. Si quid autem occurrat difficultatis, nil agatur nobis inconſultis.

5.

Si [1] parentes minoribus deſint aut tutores, nec aliter per legem civilem provideri poſſit, tunc à conſanguineis proximioribus tribus vel quatuor, aut ipſorum defectu à totidem vicinioribus eximiæ notæ viris obtineatur conſenſus. Et hìc etiam prudenti indagatione opus eſt, ne circa proximiores conſanguineos dolus à nubentibus obtendatur. In actis autem celebrationis matrimonii, abſentiæ ſeu non exiſtentiæ parentum vel tutorum ſemper mentio fiat, ſimul & cauſæ (quantùm prudentia ſuggeſſerit) quæ matrimonio neceſſitatem induxerit.

6.

Si nubendi majores ſint, diligenter nihilominùs attendant ſacerdotes utrùm parentum priùs conſenſum vel obtinuerint, vel

---

[1] Inſtr. DD. arch. Rothom. an. 1796, p. 21.

ritè ſaltem coram teſtibus fide dignis in actu conſignatis præerequiſierint ; & ut omnis tollatur error, meminerint eos tantùm pro matrimonio contrahendo vocari *majores* juxtà regulas canonicas, qui trigeſimum annum, ſi viri, & 25um. ſi fœminæ ſint, completum attigêre.

7.

Accuratam impedimentorum matrimonii ſive dirimentium ſive prohibentium notitiam habeant ſacerdotes, ne vel illicita vel etiam invalidà jungant matrimonia. Quod ſi canonicum quod obſtet impedimentum noverint, nubendi debitâ ſupplicatione ab ipſis & à parocho vel ipſius vices gerente ſubſignatâ ſuperiores adeant, diſpenſationem, ſi concedi debeat, patienter expectaturi.

8.

In omni ſupplicatione breviter & lucidè facta diſponantur, ſcilicet nubentium ætas nomen & pronomen, profeſſio, parentes & domicilium, impedimentum à quo diſpenſatio poſtulatur, figurata ſponſandorum genealogia ſi de gradibus conſanguinitatis affinitatiſvè agatur, diſpenſationis demùm cauſæ legitimæ, nil addendo vel præter-

mittendo quod obreptionis ſubreptioniſvè nœvum, obducere queat. Utriuſque partis ſubſcriptione vel ſigno muniatur ſupplicatio ; ipſiuſque omnimodam teſtetur ſinceritatem ac veritatem parochus vel ipſius vices gerens, aut, ſi deſint, locorum decanus ſive prodecanus, aut vicariorum generalium in his partibus delegatus.

9.

[1] Nemo quolibet vinculo ſivè ſimpliciter civili, ſivè etiam coràm juratis intruſiſvè paſtoribus contracto ligatus ad novas nuptias, vivente comparte, convolare permittatur, niſi priùs interceſſerit judicis eccleſiaſtici ſententia quæ prioris matrimonii nullitatem pronuntiaverit, & ad alterum tranſire conceſſerit.

10.

Nullus ſacerdos etiam à nobis generaliter approbatus quemcumque fidelem abſque proprii parochi, vicarii vel deſſervientis licentiâ ſcriptis mandatâ, matrimonio jungere præſumat, (1) dummodò nullâ, ut

---

[1] Inſtruct. D. D. arch. Rothom. anno 1796.

(1) Vide quæ dicta ſint ſuperiùs de ſacramentis in genere, articulo 6, p. 10.

jam diximus, labe ſit inquinatus, & intra parochiæ fines, vel proximiori loco communiter reſidere noſcatur. In civitatibus autem Cadomenſi, Bajocenſi & Virienſi non ſufficiat ſacerdotibus *generalis* licentia, ſed, à partium parocho, vicario, ſeu deſſerviente, aut ſi abſint à vicario generali vel ipſorum delegato *ſpecialis* pro ſingulis obtineatur, ſponſi extranei ſint, ſivè non.

II.

Ex eò quod matrimonia inita ſine conſenſu parochorum, vicariorum aut deſſervientium, in litteris noſtris approbatoriis & in hoc præſenti mandato declarentur nulla & invalida, perperàm tamen concluderetur omnia quotquot anteà juncta fuêre matrimonia abſque horumce parochorum vicariorum aut deſſervientium licentiâ, prorſus eſſe invalida; ea enim ex omni parte ſtare ac legitima eſſe conſtat quæ ante nullitatis pœnam à nobis latam, de noſtrâ generali vel ſpeciali auctoritate fuerunt celebrata, ſæviente adhuc perſecutione, imò & iſta omninò valida ſunt quæ jam factâ noſtrâ prohibitione, bonâ fide & non ſpretâ auctoritate, ſed ex ignorantiâ juris vel facti fuerunt ce-

lebrata ; & ſuper hæc omnia ſingulorum ſacerdotum teſtimonio ac conſcientiæ judicium reſervetur, niſi aliter probetur.

12.

Noverint etiam ſacerdotes illud eſſe ſui muneris, ut ad contrahendum non admittant eos quorum alteruter ex alienâ diœceſi in hanc tranſmigravit, nec per annum integrum in eo commoratus eſt animo manendi, niſi pars extranea priùs à vicariis generalibus ſuæ diœceſis teſtimonium obtinuerit, quo conſtet hanc eſſe ab omni vinculo liberam aut ſolutam ; quod ſubindè teſtimonium à nobis recognoſcetur eo fine ut matrimonii celebrandi, non obſtante defectu domicilii, licentiam impertiamur.

13.

Meminerint etiàm ſacerdotes quodlibet matrimonium initum, ſpreto alterius contrahentium parocho, eſſe prorsùs illicitum, quin &, juxta plurimos præclari nominis theologos, penitùs invalidum.

14.

Teſtes non admittantur niſi probè noti ac fide digni, qui teſtimonium de natalibus, ætate, libertate ad contrahendum requiſitâ,

domicilio, &c. perhibere teneantur. Ipſos autem ſedulò moneatis quatenùs ſi volentes & ſcientes falſum proferrent teſtimonium, aut ſi nubentes malâ fide ſub tali teſtimonio contraherent, omnes æquè pœnam excommunicationis reſervatæ, *ipſo facto*, incurrerent.

15.

Omnia quotquot, omiſſis ritibus aut formis quæ canonicis vel civilibus legibus, ſub pœnâ nullitatis, præſcribuntur, celebrata ſunt matrimonia, vel de quorum validitate dubietas quædam & anxietas meritò ſuboriri poteſt, [1] rursùm coram ſacerdote celebrentur, (ſi tamen agatur de impedimento quod ſit juris publici.) In caſu autem dubii ſive juris, ſive facti, [2] niſi rehabilitationem poſtulent ambo contrahentes, nil agant, nec verbum proferant ſacerdotes inconſultis vicariis generalibus, ne ſecuris animis inanes forsàn ſcrupulos injiciant.

16.

[3] Ubi primùm matrimonii jam contracti

---

[1] Monita D. D. arch. Rothom. 1796, p. 16. | [2] Regl. de M. de Cheylus, 1796. | [3] Monita D. D. arch. Rothom. an 1797, p. 19.

nullitas apparuerit, vel certa, vel maximè probabilis, ſeparentur *à thoro* conjuges, donec ritè denuò fuerint conjuncti; nec tamen ideò alteri nubere permittantur, niſi tum in eccleſiaſtico, ut diximus, tùm in civili foro, (ſi civiliter fuerit contractum) ſolutum declaretur matrimonium.

17.

Nullum coràm eccleſiâ benedicatur matrimonium, niſi breviſſimo tempore, v. g. eâdem vel craſtinâ die, poſſit & debeat civili ritu confirmari. Quod ſi de alterutrius contrahentis intentione circà civilem nexum ſuſpicio detur vel leviſſima, præcedat civilis declaratio matrimonium apud eccleſiam quantociùs celebrandum; ſi autem inter occultos, aut civiliter proſcriptos fiat matrimonium, nec abſque partium periculo poſſit civiliter declarari, conſulantur vicarii generales.

18.

Inter eas quæ à rituali notantur interrogationes ubi de ſponſalibus, nova ſemper addatur de præſentis horrore ſchiſmatis & legitimorum auctoritate paſtorum, prout ſuperiùs ſanximus de baptiſmate, art. 9, pag. 16.

19.

Quilibet actus matrimonii bis in diverso codice diligenter & attentè, juxta pristinam formam in ritualibus consignatam inscribatur. A quatuor saltèm testibus matrimonio præsentibus, aliisque quorum interest, ac denique ab ipsomet celebrante subsignetur. Rehabilitationis, si quæ sit, ipsiusque causarum, & dispensationis quæ (in foro exteriori duntaxat) locum haberet, mentio fiat, nec non parentum, tutorum, aut aliorum quibus pertinet, consensûs. Ideòque actus seu instrumenta quæ hujusmodi consensûs fidem faciunt, cautè serventur, & matrimonialibus codicibus adjuncta teneantur.

20.

De cætero easdem regulas circà matrimonii actus, codicesvè commendamus, quos de baptismalibus libris superiùs proposuimus articulis 14, 15 & 16. Quos vide, p. 17 & seq.

DE INSTRUCTIONIBUS.

1.

Valdè quidem exoptandum foret ut omnes in singulis parochiis puerorum, juve-

numvè inſtitutores vitam irreprehenſibilem, ſanamque doctrinam conſtanter retinuiſſent. Quoniam autem præſentibus in procellis rari admodùm reperiuntur illæſi, ii permittantur ſeu potiùs tolerentur magiſtri, qui quandòque tandem ad meliorem frugem reverſi, principiis catholicis, ac moribus integris jam jam videntur commendabiles; nullâ autem ratione admittantur pſeudo paſtores quicumque vel ſacerdotes jurati, peccatoreſvè publici qui culpam ſuam pertinaciter deflere renuerint, quantùmcumque aliàs virtutis, imò & avitæ fidei ſpeciem præ ſe ferant. [1] *Væ illis qui in viâ Caïn abierunt, & errore Balaam mercede effuſi ſunt, & in contradictione Core perierunt.*

2.

Publicas, quæ in civitate Cadomenſi legibus civilibus inſtitutæ ſunt, ſcientiarum humanarum artiumvè ſcholas frequentare permittantur adoleſcentes, non attentis cæteròqui præpoſitorum vitæ ratione vel opinionibus politicis; dummodò tamen nullius erroris venena diſcipulis propinare ſtudeant, nec ſit periculum ſubverſionis. Ex-

[1] Judæ. v. 11.

cipiantur autem dies dominicæ feſtaque à populo feriata, quibus à ſcholarum publicarum ſtrepitu, de more priſtino, abſtinere convenit catholicos omnes, ut piis exercitationibus & orationibus dies Deo ſacras ſanctificare queant, ne legibus in odium religionis chriſtianæ conditis aliquatenùs obtemperare videantur.

3.

Si tamen agatur de rebus mathematicis, aliiſvè hujuſmodi ſcientiis abſtractis quarum partes ita ſint inter ſe connexæ, ut unius demonſtrationis omiſſio ſequentium intelligentiam neceſſariò præcluderet, nec facilè poſſet ſuppleri, ideòque damnum irrreparabile ſtudentibus exoriretur; indulgemus ut in iſto duntaxat caſu lectionibus publicis intereſſe poſſint alumni diebus dominicis ac feſtivis, dummodò aliàs eccleſiæ catholicæ præcepta ſedulò adimplere non omittant.

4.

Singulis in parochiis, quantùm fieri poteſt, infantes & juvenes pro poſſe ſuo catechizentur, diebus ſaltem dominicis & feſtivis. Quod ſi præ multitudine cathechizandorum, vel urgens aliquod miniſ-

terii opus, nimio jam labore confecti legitimè impediantur ſacerdotes, aliis clericis, ſi qui ſint, vel piis eruditiſque laïcis tum viris, tum etiam mulieribus infantiæ per domos edocendæ curam interim committant, donec ſelectos quoſdam ſpecialiùs ipſi valeant inſtruere, qui primæ communioni proximè diſponantur.

5.

In catechiſmis, concionibuſque publicis & privatis, ea ſæpiùs & diligentiùs tractentur fidei puncta quæ hodiernum ſchiſma potiſſimùm ſpectant, videlicet eccleſiæ naturam, unitatem, proprietates, paſtorum, præcipuèque Romani Pontificis ſupremam auctoritatem, impugnatas à civili conſtitutione anni 1790 dogmata, alioſque quoſcumque noviſſimorum temporum errores. In profligandis autem erroribus, maximâ moderatione, circumſpectione, ac manſuetudine utantur oratores, nè vel leviſſimè quempiam offendant. *Et [1] hos quidem arguite judicatos, illos verò ſalvate, de igne rapientes, aliis autem miſeremini in timore.*

---

[1] Judæ, v. 22.

5.

[1] Cariſſimi, nolite omni ſpiritui credere; ſed probate ſpiritus utrum ex Deo ſint, quoniam multi pſeudoprophetæ exierunt in mundum. [2] Vos eſtis lux mundi, vos eſtis ſal terræ; quod ſi ſal evanuerit, in quo ſalietur? [3] doctrinis ergò variis & peregrinis nolite abduci. [4] Omnia probate; quod bonum eſt, tenete; ab omni ſpecie malâ abſtinete vos. [5] Videte voſmetipſos ne perdatis quæ operati eſtis, ſed ut mercedem accipiatis; [6] qui enim perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit.

Datum Bajocis anno reparatæ ſalutis milleſimo octingenteſimo primo, die verò menſis aprilis decimo ſeptimo.

---

[1] 1. Joan. | [2] Matth. 5. | [3] Hebr. 13. | [4] 1. Th. 5. | [5] 2. Joan. | [6] Matth. 24.

FORMA

Applicandæ Indulgentiæ à BENEDICTO *Papa* XIV *præscripta.*

[1] *QUod spectat Benedictionem cum indulgentiâ plenariâ concedendam fidelibus in mortis articulo constitutis, juxtà constitutionem Benedicti Papæ* XIV, *quæ incipit,* pia Mater Ecclesia, *datam Romæ* 5 *aprilis* 1747, *observanda sunt ea quæ sequuntur.* 1°. *Nullus sacerdos præfatam indulgentiam applicare potest, nisi fuerit ad hoc specialiter delegatus.* 2°. *Necesse est ut æger priùs sacramentali confessione mundatus, & sacrâ communione refectus fuerit.* 3°. *Si æger sit mentis compos, studeat sacerdos eum excitare ad novos de admissis peccatis actus doloris emittendos, concipiendosque ferventissimæ in Deum charitatis affectus, præsertim verò ad ipsam mortem æquo animo de manu Domini suscipiendam; hoc enim maximè opus in hujusmodi articulo constitutis à summo pontifice injungitur, per quod se ad indulgentiæ fructum consequendum præparent.* 4°. *Si æger linguæ & sensuum usu sit destitutus, vel in delirium aut amentiam inciderit; indulgentia nihilominùs ei poterit applicari, modò eam, dum sanâ mente integrisque sensibus esset, postulaverit, aut verisimiliter postulaturus fuisse judicetur.*

Hæc est autem prædictæ indulgentiæ applicandæ forma quam præscripsit Benedictus XIV.

Sacerdos infirmi cubiculum ingrediens dicit;

℣. Pax huic Domini.

℟. Et omnibus habitantibus in eâ.

Deindè infirmum, cubiculum, & astantes aspergit aquâ benedictâ, dicens:

Asperges me, Domine, &c.

Postea subjungit:

℣. Adjutorium † nostrum in nomine Domini,

℟. Qui fecit cœlum & terram. *Ps.* 123.

Ant. Ne reminiscaris, Domine, delicta famuli tui (*vel* ancillæ tuæ); neque vindictam sumas de peccatis ejus. *Tob.* 3.

Kyrie, eleïson. ℟. Christe, eleïson. Kyrie, eleïson.

---

[1] Pastor. Paris., T. 3, p. 243.

Secretò. Pater noſter.

℣. Et ne nos inducas in tentationem.

℟. Sed libera nos à malo.

℣. Salvum fac ſervum tuum (*vel* ancillam tuam)

℟. Deus meus ſperantem in te. *Pſ.* 85.

℣. Domine exaudi orationem meam;

℟. Et clamor meus ad te veniat. *Pſ.* 101.

℣. Dominus vobiſcum;

℟. Et cum ſpiritu tuo.

Oremus.

Clementiſſime Deus pater miſericordiarum, & Deus totius conſolationis, qui neminem vis perire in te credentem, atque ſperantem; ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius famulum tuum *N.*; quem (*vel* famulam tuam *N.*, quam) tibi vera fides & ſpes chriſtiana commendant. Viſita eum (*vel* eam) in ſalutari tuo; & per unigeniti tui paſſionem & mortem, omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem & veniam Clementer indulge; ut ejus anima, in horâ exitûs ſui, te judicem propitiatum inveniat, & in ſanguine ejuſdem filii tui ab omni maculâ abluta, tranſire ad vitam mereatur perpetuam; Per eumdem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Tunc factâ ab infirmo vel ab uno ex aſtantibus confeſſione generali, Confiteor, &c. *Sacerdos dicat*, Miſereatur, &c. *Deinde* :

Dominus noſter Jeſus Chriſtus, filius Dei vivi qui beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi atque ſolvendi, per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam, & reſtituat tibi ſtolam primam, quam in baptiſmate recepiſti; & ego facultate mihi ab apoſtolicâ ſede tributâ, indulgentiam plenariam & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo. In nomine Patris †, & Filii, & Spiritûs Sancti Amen.

Per ſacro ſancta humanæ regenerationis myſteria, remittat tibi omnipotens Deus omnes præſentis & futuræ vitæ pœnas, paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.

Si verò infirmus adeò ſit morti proximus, ut, neque confeſſionis generalis formulam præmittere, neque preces recitare per tempus liceat, ſtatim ſacerdos indulgentiam impertiatur, dicens : Dominus noſter, &c. *ut ſuprà.*

ADDITA

Ad titulum de baptiſmo, art. 14.

Edoceantur adulti baptizandi non tantùm fidei articulos ſed & vitæ rectè inſtituendæ rationem, id eſt veram cordis contritionem, morumque perfectam converſionem... & ubi in adultis eſt aliqua vitioſitas difficilis ad eluendum, probentur ſpatio temporis. Si emendati fuerint, admittantur; ſi verò monitis non paruerint, repellantur. (Vide rituale, pag. 35.)

Ad titulum de matrimonio, art. 20.

Ubi contrahentes in parochiâ non ſui domicilii matrimonio juncti fuerint, parochus vel ipſius vicem gerens, poſtquàm matrimonii acta in parochiæ ſuæ codices retulerit, actorum apographum cùm autographo diligenter collatum (*copie de l'acte collationné avec l'original*) & à ſe ſubſignatum tradet ſeu mittet parocho domicilii præſertìm mulieris, ut inter acta propriæ parochiæ totum inferatur. (Ex paſt. Pariſ. tom. 2. pag. 717.)

ERRATA.

Pag. 6, art. 5, lin. 6, *lege* voſmetipſos.

Pag. 17, lin. 8, *lege* catholicitatem vel agendi normam.

Pag. 18, lin. 4, *lege* aërîſvè.

Pag. 26, art. 11, lin. 12, *lege* in debitâ.

Pag. 28, art. 2, lin. 10, *lege* ſequantur.

Pag. 29, art. 3, lin. 6, *lege* nec caſui.

Pag. 36, art. 11, lin. penul., *lege* niſi eâdem.

Pag. 41, lin. 4, *lege* quas ſi prudenter.